

- neratitius, sed plures debeant concurrere conjectura ad presumptionem favoris, & ad minus tres predictas, quas secunda opinionis Auctores requirunt, aut alia similes.
- 75 Non verò, quod precise requiratur ultra pactum de retrovendendo, modicitas pretii, & quod emptor solitus sit fenerari, aut aliud simile, quod etiam interveniat conjectura alia, ut tertia opinionis Auctores requirebant, quia adducuntur, & improbatum supra numero 61.
- 76 Deinde, quod nec etiam requiratur precise, ut tres predictae conjecturae simul concurrant semper; nam & aliquando, negotii, personarum, & contractus qualitas, aut circumstantia, & pretii modicitas talis, tantaeque esse poterit, ut etiam ex pacto de retrovendendo (maximè si fuerit post certum tempus, quod magis suspectum est) grandique aut enormi pretii lesione & modicitate, contractus debeat feneratitius judicari, juxta concordiam relatam supra numero 62.
- 77 Idcirco, ut dictum fuit supra num. 66. nulla melior, aut securior tradi potest in hac materia doctrina, quam quod totum hoc in dictis Decretalibus non decisum, nec declaratum, arbitrio prudentis, & discreti iudicis relinquatur.
- 78 Qui pra. oculis habere debet nonnulla, quae Covar, & Menochius ibi relati tradiderunt.
- 79 Ac diligenter veritatem investigare, ubi suspicio simulationis in fraudem usurarum esse possit.
- 80 Contractum ex alia conjectura feneratitium presumi posse, etiamsi deficiat conjectura illa, quod ab initio mutuum peteretur, postea venditionis contractus, vel alius gereretur, ut hoc num. & seq. latius explicatur.
- 81 Et quorundam distinctio in proposito hujus materiae, noviter & verè improbatum.
- 82 Traditurque singularis & nova consideratio ad text. in d. c. ad nostram, de emptione & venditione.
- 83 Ad ea quae in proposito quaestione haecenus agitata, Andreas Fachineus, novissimè omnium observavit, nova etiam Auctoris nota profertur.
- 84 Contractus simulatus & feneratitius, an etiam argui possit in datione in solutum ubi Menochii resolutio probatur.

Pro expedita hujus Capitis explicatione, constituenda erunt nonnulla quae ad dilucidam & claram interpretationem text. in cap. ad nostram, de empt. & vendit. & in cap. illo vos, de pignoris, omnimò necessaria sunt, nec verè praetermitti possunt: Et in primis constituendum erit, quod contractus in dubio non praesumitur simulatus, vel usurarius in foro contentioso, cum semper interpretatio fieri debeat in bonam partem; idcirco, quoties negotii, de quo agitur, qualitate prudenter considerata, de contractu dubitatur, sitne usurarius, vel licitus; justus potius quam feneratitius est praesumendus, quod jure & quamplurimorum auctoritate probavit Mascardus de probationibus, tom. 1. conclusione 438. à principio, usque ad num. 6. & conclusione 448. num. 3. & cum Barbatia, Baldo, & Decio, Menochius, qui rationem assignat lib. 3. praesumptione 122. num. 2. 3. 4. & 5. & in conf. 343. num. 1. lib. 4. Natta in conf. 198. num. 5. & num. 21. lib. 1. Rolandus in conf. 40. in principio, & in conf. 96. num. 12. & seq. lib. 2. & in conf. 95. num. 10. lib. 4. Tiberius Decianus in conf. 2. n. 65. 66. & 67. lib. 2. & cum Craveta, Socino, Grato, Jafone Rota Romana, Bertazolo, & aliis Joannes Vincentius Hondedeus in conf. 33. num. 23. 2. lib. 2. Burfatus in conf. 135. num. 12. lib. 2. Et qui contractum simulatum esse, vel feneratitium dixerit, probare debet, & causam simulationis, aut usurae ostendere & declarare, ex omnibus Auctoribus nunc relatis, & Mascardo, dicta conclusione 448. per totam, qui etiam unanimiter probarunt, in iudicio animae contra obser-

variis eo namque contractus potius est praesumendus usurarius, quam justus, etiam in dubio, & contra eum fieri debet interpretatio, cum ea pars benignior sit, & tutior pro anima, ut cum Abbate, Felino, Alciato, Baldo, Marfil. Cotta, & Craveta, observavit Mascardus d. concl. 438. num. 6. Menochius d. praesumptione. 122. num. 5. qui rectè intelligit id procedere, modo extet aliqua praesumptio, & conjectura fraudis & usurae & in conf. 109. num. 24. lib. 2. ubi sic accipit Geminianum in conf. 16. column. 3. in versiculo, preterea, & in conf. 112. in fine.

Secundò constituo, traditionem superiorem procedere, etiam si interveniat pactum de retrovendendo, per quod contractus non fit, nec praesumitur illicitus: quoniam pactum de retrovendendo est in se licitum de jure Civili, Canonico, Divino, & in foro conscientiae, seu animae iudicio, & antequam res redimatur, emptor licite fructus lucratur, per text. in l. 2. C. de pactis inter empt. & venditorem, & in cap. ad nostram, de emptione & venditione, ubi cum damnaretur emptio cum pacto de retrovendendo, quia pretium datum pro re erat nimium modicum, & vix dimidium justii pretii continebat, item quod revera sub nomine emptionis, contractus usurarius ageretur, nec pacto uti liceret venditori nisi à septennio; aperte probatur à contrario sensu, quod si pretium esset justum, & aliae conjecturae fraudis non intervenirent, pactum de retrovendendo valide adjici posset, & verè sic deduci potest ex illo textu, juxta communem traditionem Imolae, & aliorum Doctorum ibi, quamvis Berous num. 10. aliter sentiat, dicens, quod verè hoc neque probatur, neque praesupponitur in eo text. & quod melius probatur in cap. illo vos, de pignoris, ubi re vera melius non probatur, sed sic praesupponitur, ex quo pactum illud ex aliis circumstantiis damnatur, & Levitic. cap. 25. probatur, & cum multis Auctoribus sic observat Cagno. lus in l. 2. C. de pactis inter empt. num. 7. & 9. & 10. Covar. variarum resolut. lib. 3. cap. 8. num. 4. Mascard. de probationibus, volum. 1. conclusione 441. num. 3. Rolandus in conf. 96. num. 2. & 3. lib. 2. & in conf. 88. num. 9. lib. 4. Antonius Galeatus Malvassia in conf. 107. num. 2. lib. 1. Tiberius Decianus in conf. 2. num. 130. lib. 1. & in conf. 104. num. 6. lib. 2. Cavalcanus decis. 1. num. 16. prima part. Hippol. Riminald. in conf. 218. num. 146. lib. 2. Joannes Vincentius Hondedeus in conf. 33. num. 64. & 65. lib. 2. Menochius latissime explicans lib. 3. praesumpt. 122. ex num. 1. usque ad num. 19. Caldas Pereira in l. si curatorem habens, verbo, sua facilitate, num. 59. in principio, Azevedius in l. 4. tit. 6. num. 11. & tribus seqq. lib. 8. nova collectionis Regiae. D. Felicianus, de Solis tractatu de censibus, lib. 1. cap. 6. num. 8. Ludovicus Molina de justitia & jure, tract. 2. disp. 320. & disp. 375. ubi late fundat justitiam hujus pacti: quod etiam in d. l. 4. tit. 6. lib. 8. nova collectionis Regiae, non improbatum, cum simpliciter emptioni, aut venditioni adjicitur, sed ita demum, si clausula apponatur, quod emptor interim lucratur fructus rei venditae: tunc enim contractus praesumitur usurarius, ex ratione quam ad explicationem ejusdem l. 4. observavit Azevedius ibi num. 38. videndus ex num. 34. usque ad num. 41. & cum aliis, D. Felicianus, lib. 1. d. cap. 6. num. 14. sicut etiam de jure communi, atque ex recepta omnium sententia à qua nullus dissentit pactum de retrovendendo licitum non censetur, quando cum eo concurrunt aliae conjecturae, ex quibus contractus simulatus, & in fraudem usurarum factus praesumi possit: quia tunc mutat ejus primariam naturam, & praesumptionem feneratoris inducit, per text. in d. cap. ad nostram de empt. & vendit., & in d. cap. illo vos, de pignoris: & observant omnes Auctores num. 5. relati, qui praefatam resolutionem sic explicarunt, & inter alios Cavalcanus d. decisio 1. num. 17. Menochius lib. 3. d. praesumptione 122. num. 16. & 17. dicens nihil referre, quod pactum collatum sit in voluntatem

luntatem venditoris, vel emptoris, ubi nullae conjecturae sunt fraudis, doli, vel usurarum, & referens Covarr. Lupum, & Coepolam, sic tenentes.

Tertiò constituo, pactum de retrovendendo aded in se licitum esse, ut valeat, etiamsi ita conceptum sit, ut non nisi post certum terminum liceat redimere, & sic restricta & limitata potestate recuperandi: quod tenuerunt Faber. in l. ult. C. de pactis pignorum, qui loquitur expressè, etiam in contractu pignoris, dummodò restrictio facultatis luendi non excedat triginta annos, ut ibi dicit per illum textum Bald. in cap. 1. de feud. Dat. in vic. leg. commiss. col. 2. in versic. quero de quibusdam pactis. Abbas in conf. 69. videtur primò, column. 2. Petrus Cinus collect. Ange. Alex. Corneus, Coepola, Tiraq. Covar. Berous, Joannes de Medina, Ant. Gomez. Didacus Perez. & Caleas Pereira, quos adducit, & sic de censibus, lib. 1. cap. 7. num. 7. Azevedius in l. 4. tit. 6. num. 35. & 36. lib. 8. nova collect. Regiae. Mascardus de probationibus, tom. 1. concl. 441. num. 4. 5. & 6. Joannes Vincentius Hondedeus in conf. 33. num. 65. & num. 75. lib. 2. eruditè Decianus in conf. 2. num. 131. & 132. lib. 2. ubi dicit, quod nulla lex, aut Decretalis prohibet talem venditionem, & tale pactum, & licet aliqui ternerint, quod istud pactum limitans potestatem redimendi, sit aliquater suspectum; atamen quod omnes concordant in hoc, quod solum istud pactum de per se non sufficit ad arguendum contractum usurarium; sed oportet, quod interveniat modicitas pretii, & quod sit consuetudo fenerandi: & ita concludere Caepolam, Romanum, Socinum, & al. os ibi relatos.

Denique, quod omnes Auctores adducti in contrarium ab eodem Deciano ibid. ex num. 17. (alios plures adducit Mascardus dicta concl. 441. in principio, Felicianus, & Azevedius ubi supra) non dicunt solum hanc conjecturam sufficere; quia pactum de per se est licitum, & nisi concurrat aliqua suspicio usurarum, non efficitur suspectum, ut probat aperte text. in d. cap. ad nostram, de emp. & vend. ubi non solum erat simile pactum ad tempus, & restringens potestatem, sed modicitas pretii, & aliae plures conjecturae, ut Decianus ipse advertit ubi supra, cui accedo libenter, & ultra eum sic admoneo intelligenda ea, quae in proposito tradiderunt Hieronymus Gabriel in conf. 74. num. 5. Lo-fredus in conf. 52. num. 31. & Cephalus in conf. 496. num. 49. lib. 4. quatenus dixerunt, pactum purum & simplex de retrovendendo, non esse ita suspectum, sicut illud de retrovendendo post certum tempus: Id enim ita demum intelligendum est procedere, si cum eo pacto modicitas pretii, aut conjectura alia concurrat, quae fraudis suspicionem inducere possit; alias enim pactum de retrovendendo, etiam post certum tempus de per se non est illicitum, neque suspectum, ut rectè advertit Joannes Vincentius Hondedeus (qui Decianum dumtaxat refert) d. conf. 33. num. 65. volum. 2. Erunt haec notanda ad unum, ad quod nullus haecenus animadvertit, & verè praetermitti non potest, deceptum, inquam, Alvarum Valacum in consultat. 41. per totam. is enim in

quaestione proposita ibi, nempe quod Gregorius emit certas frumenti mensuras annuas, ex quibusdam molendinis, ducentis aureis & pacti sunt, ut usque ad quinquennium venditor posset retrahere praedictam venditionem reddito pretio quod accepit, & insuper convenirent, ut non nisi lapsò biennio illius quinquennii inciperet facultas retrahendi; constanter defendit, hujusmodi venditionem adjecto tali pacto usurarium esse: & movetur triplici ratione, in primis, quia nulla alia cogitatione id pactum videtur appositum, nisi ut ex pecunia certum lucrum intra illud certum tempus necessarii & securè proveniat, & sic contractus redditur usurarius. Secundò movetur ex l. 4. tit. 6. lib. 8. nova Compilationis, de qua supra: aequiparando casum illum, quo cum pacto de retrovendendo sit apposita expressè conditio de lucrandis fructibus rei venditae ab ipso empto-

re (quo casu pactum hujusmodi damnatur ab illa lege) casui, quo adjicitur ea conditio, quod non nisi post certum tempus incipiat res posse redimi: quoniam tunc si est certum lucrum, sicut in alio casu. Deinde & tertiò movetur, dicens quod retortio text. in d. cap. ad nostram, non eum torquet, quia in casu ita ibi contingente loquitur, non secus dicturus, si solum proponeretur, venditionem factam esse cum pacto redimendi intra certum tempus, & insuper adjecto pacto, ut non nisi post lapsum aliquod tempus, ex illo constituto non incipiat posse redimi: ac denique in fine dictae consultat, in hunc modum scribit: Sed ego vix unquam obtinere potui secundum hanc opinionem judicari, quia Judices multoties non id, quod certius est sequuntur, sed Doctorum turbam. Et haecenus praedictus Auctor, qui, ut vides, decipitur aperte, ut constat ex his, quae diximus supra, ex num. 9. cum seqq.: Ex quibus evidenter probatur, quod solum istud pactum de per se, non sufficit ad arguendum contractum feneratitium; sed oportet, quod simul concurrant alia, ex quibus fenerandi voluntas valeat deprehendi, ut cum magis communi sententia probarunt Auctores omnes relati supra. Deinde quia cum pactum istud de per se illicitum non sit, seu suspectum, nec à jure improbatum, non reddit contractum usurarium, nec etiam eo animo, eave cogitatione censetur adjectum principaliter, quam praefatus Auctor consideravit, sed potius absque ulla fraude, ut jure & facultate sibi à lege concessa quisque utatur; ex quo nemini censetur injuria fieri, nec feneratitii contractus praesumptio desumi potest in dubio, juxta ea, quae in initio hujus capituli dicebamus: maximè cum pactum istud de retrovendendo, in casu praedicto appositum esset in favorem & gratiam venditoris ipsius, qui potuit hanc liberalitatem exercere modo suo; nec inde arguitur suspicio fraudis, quippe cum illius nulla alia conjectura interveniat, ut cum aliis observavit eruditè Decianus dict. conf. 2. num. 135. lib. 1.

Praeterea non obstat text. in d. l. 4. tit. 6. lib. 8. nova Compilationis, quae, ut dixi supra, num. 6. pactum de retrovendendo indistinctè non improbat, sed eo dumtaxat casu, quo expressim adjicitur conditio de lucrandis fructibus; tunc enim praesumit lex illa usuram, & fraudem contractus, ex ratione considerata per Azevedium, & Felicianum in locis relatis ibi: quod non ita praesumitur, quoties praedicta conditio non expressa dumtaxat tempus exprimitur, post quod redimere liceat; id enim longè distat, & diversam rationem constituit, quae aequivaleret Auctoris aequiparatio, aut argumentum non subsistit: quamvis enim is, qui eo modo & pacto emit, habeat intentionem interim lucrandi aliquid ex re empti, ob hoc tamen non debet dici committere usuram, quia haec sua intentio conformis est dispositioni juris communis, nec de re omnino certa, aut firma, imò & conformis est aequitati naturali, ut latius, atque eruditè fundat Berous in d. cap. ad nostram, de empt. & venditione, num. 26. in vers. praeterea falsum esse arbitror, qui eleganter loquitur in proposito, & ipsius doctrinà & theorica, concludenter convincitur praecipua ratio, quae movetur Valacum. Denique in specie, quam ipse Valacus proposuit, torquere deberet eum decisio text. in d. cap. ad nostram, quia ex verbis ejusdem satis aperte deprehenditur, secus dicturum Romanum Pontificem, si solum proponeretur, venditionem factam cum pacto de retrovendendo, conditio praedicta adjecta: ex quo ut movetur ad sic dicendum, plures simul concurrentes conjecturas inspicit, ut ex ipsius text. contextura colligi potest, & latius à me probabitur infra: quapropter rectius quidem fecerunt, & non Doctorum turbam, ut dicebat Valacus, sed communes potius, ac veras resolutiones sequuti sunt ii, qui secundum opinionem ipsius, nunquam judicare voluerunt.

Quartò constituo, quod contractus simulatus, vel fictivus in fraudem usurarum, multis modis committi dicitur:

- dicitur: & in terminis, quod quinque modis possit committi, ostendit Berous, ad quem statim referendi non animadvertunt, nec referunt eum, in d. cap. ad nostram de empt. & vendit. num. 13. per totum: quod verò committitur quatuor modis, post Afflict. & Barbat. dixit Menochius lib. 3. d. presump. 122. num. 1. tribus modis dixit Beccius in cons. 52. num. 29. Bertrandus in cons. 175. column. 2. lib. 2. Mascardus de probationib. tom. 1. concl. 438. num. 12. Hippol. Riminald. in cons. 260. n. 16. § 18. lib. 3. & in cons. 355. n. 97. § 98. lib. 4. § in cons. 612. ex n. 37 usque ad n. 47. lib. 6. Inter prædictos modos primus est qui ad rem nostram pertinet (idcirco prætermittam alios) quando scilicet de uno contractu ad alium simulatio datur, quia verè unus contractus, puta Mutui, vel Pignoris celebratur, sed expressè alium celebrari, puta emptionis & venditionis simulatur: sic loquitur totus titulus C. plus valere quod agitur, & c. l. empti fides, C. de contrahenda emptione, & text. in d. cap. ad nostram, de emptione & venditione, & in cap. illo vos, de pignori, ut rectè advertit Berous in eodem cap. ad nostram, num. 13. in vers. quandoque, & eum non referens, sic tradit Mascardus de conclus. 438. num. 12.
- 20 Menochius lib. 3. d. presump. 122. num. 1. Et in proposito casu, an contractus dici possit simulatus, vel fictitijs in fraudem usurarum, si unus simularet tantum, & alius non, vel si non constaret quod originalis causa fuerit causa Mutui, vel facta non fuisset mentio de mutuo, aut emptor arbitraretur emere, licet alios existimaret accipere mutuo, tractant Mascard. de probation. tom. 1. conclus. 441. num. 10. § 11. Joannes Vincentius Hondedeus in cons. 33. ex num. 36. usque ad num. 42. lib. 2. ubi vide omnino, & ibid. num. 39. an contractus hujusmodi licitus sit in foro conscientiarum.
- 21 Quinto constituo, quod contractus usurarius, vel fictitijs, aut simulatus probatur ex conjecturis & præsumptionibus, sic ut aliquando sufficiant etiam leves conjecturæ, aliquando verò urgentes, aut fortiores conjecturæ necessariæ sint, nec in hoc certa possit constitui regula, sed Judex ex suo arbitrio determinare debeat, quæ conjecturæ sint sufficientes, aut non sufficientes, ita communiter DD. in d. c. ad nostram, de emp. & vendit. & in d. c. illo vos, de pignori, & post infinitos alios Afflictis decis. 40. num. 19. Cephalus in cons. 198. num. 16. lib. 2. Burfatus in cons. 321. num. 52. lib. 3. & in cons. 153. num. 17. § sequentibus, & tom. 3. conclus. 1142. per totam. ubi vide latissimè: optimè Joannes Vincentius Hondedeus in cons. 33. ex num. 1. usque ad numerum 8. § num. 50. usque ad num. 58. lib. secundo, Alexander Raudensis de analogis, lib. 1. cap. 30. num. 262. § 263. Menochius lib. 3. presump. 122. ex num. 5. usque ad num. 8. § in cons. 109. num. 7. lib. 2.
- 22 § de arbitrarijs, lib. 2. centuria 1. casu 13. & centuria 3. casu 257. ubi cum Baldo admonuit nonnulla, quæ observare debet Judex, ut pronunciet ex conjecturis contractum esse simulatum, sic & per contrarias conjecturas, aut præsumptiones alias constare potest, quod contractus gestus, in veritate fuit contractus verus, aut emptionis & venditionis contractus; & tunc cessant omnes contrariæ conjecturæ simulationis, & usuræ, & contractus judicatur secundum naturam emptionis & venditionis, licet si concurreret læsio enormissima ultra dimidiam justis pretij, contractus veniret rescindendus per beneficium l. 2. C. de rescindenda venditione, ut eleganter annotavit Everardus in cons. 150. num. 5. § 6. Decianus in cons. 2. num. 161. lib. 1. & cum alijs Joannes Vincentius Hondedeus in cons. 33. numero 59. § 60. lib. 2.
- 25 Sexto constituo, contractum usurarium, fictitium,

aut simulatum in fraudem legis, multis conjecturis probari: sive multas esse, diversasque conjecturas, & præsumptiones, quæ adduci solent ad præsumptionem usuræ, simulationis, aut fraudis, easque aliquando obstare, aliquando verò removeri, prout negotij qualitas, & rerum circumstantiæ patiuntur, & latissimè explicarunt Doctores communiter in d. c. ad nostram, & in dict. c. illo vos. Jac. Mandellus de Alba, in cons. 509. per tot. Ro. 26 laudus in cons. 40. per tot. lib. 2. § in cons. 96. per tot. eodè libro. Boerius in cons. 52. per totum, lib. 1. Hieronymus Gabriel in cons. 74. per totum, lib. 1. Mascardus de probationibus, tom. 1. conclus. 439. § seq. usque ad conclus. 449. Tiberius Decianus in cons. 2. ex num. 1. usque ad num. 22. § num. 31. 36. § 37. § num. 56. § 65. § num. 83. § sequentibus, & num. 97. § 98. § num. 132. usque ad num. 137. & num. 176. § 177. volumine 1. ubi commendo; dicit enim quamplurima in hac materia 27 necessaria, circa præsumptiones & conjecturas admittendas vel non admittendas, & probationem earum, & distinctè explicat, quando simulatio contractus in fraudem usurarum sit legitime probata, & in cons. 104. per totum, lib. 2. & in cons. 62. per totum lib. 3. & in cons. 23. ex num. 17. usque ad num. 23. & in cons. 28. ex num. 10. lib. 5. Antonius Galeatius Malvassia in cons. 107. ex num. 18. cum multis sequentibus, Hyppolitus Riminaldus in cons. 62. ex num. 6. usque ad num. 21. lib. 1. & in cons. 433. lib. 4. & in cons. 725. lib. 6. Cavalcanus decisio prima, ex num. 16. cum multis sequentibus, parte 2. Joannes Franciscus de Ponte in cons. 2. ex num. 63. usque ad num. 135. Camillus Borrellus in cons. 87. per totum, Menochius in cons. 109. per totum, lib. 2. & presump. 122. per totam, lib. 3. ubi vide omnino; congerit enim eo in loco viginti & sex præsumptiones aut conjecturas contractus simulari, & usurari, Joannes Vincentius Hondedeus in cons. 33. per totum, lib. 2. ubi latè, & eruditè loquitur. Achilles Pedrocha in cons. 36. ex num. 7. usque ad num. 125. ubi etiam latissimè recenset conjecturas quamplurimas, si omnes, & alii plures Authores, quos consulto duxi prætermittendos, dum tot, tantæque congerunt conjecturas, aut præsumptiones quibus simulatio, aut usura contractus probari potest, supponunt aperte, aut verè expressim præsentunt, 28 non requiri necessario, quod interveniant conjecturæ positæ d. c. ad nostram, de empt. & vendit. & in d. c. illo vos, de pignori, ad convincendum contractum fœneratitium, sed præter enumeratas ibi, sufficere, quod aliæ æquipollentes conjecturæ, vel similes, aut majorem, vel parvam rationem habentes concurrant, quæ fraudem aperiant: quoniam si standum esset dictis conjecturis tantum in jure scriptis, non convincerentur usurarii, qui de facili tanquam astuti reperirent alios modos contrahendi, ut in terminis cum Laur. de Rodolph. Siculo, Ancharano, & Abbate, sic ad advertit Rolandus in cons. 40. num. 23. lib. 2. Gratus in cons. 111. num. 15. in vers. § licet lib. 2. Portius in cons. 1. num. 3. Cagnolus in l. 2. C. de pactis inter emptorem, num. 65. Hieronymus Gabriel in cons. 74. num. 21. Decianus in cons. 105. num. 28. lib. 2. Vincentius Garocius de locato § conducto, titulo de usuris, questione 11. num. 7. § num. 25. fol. 226. § 227. Cavalcanus decisio prima, ex num. 8. usque ad num. 16. parte 2. ubi optime advertit, quod Doctores tres illas conjecturas, pactum, inquam, de retrovendendo, modicitate pretij, & quod sit emptor, vel venditor solitus fœnerari, non nominant frequentius, quàm alias, per modum limitationis, aut restrictionis, aut semper, & necessario illæmet tres adesse debeant ad convincendum contractum fœneratitium, sed per modum exempli & demonstrationis, sic ut sufficiat, si aliæ æquivalentes, vel aperte fraudem detegentes concurrant. Addiderim ego libenter, neque etiam esse de mente Pontificis Maximi, in d. c. ad nostram, & in d. c. illo vos, ad conjecturas ibi positas se restringere, sic ut ex alijs similibus, vel majoribus, aut æquipollentibus, contractum non damnetur, si hæc propolita fuissent, aut si constaret

- constaret sibi, quod conjecturæ aliæ eandem rationem habentes intervenissent: sed ex illis contractum damnasse eundem Pontificem maximum, quia verè intervenissent in casibus, de quibus ibi agebatur. Ratio autem eorum jurium, quod plures valere debeat, quod agitur, quàm quod simulatè concipitur, ne etiam cuique dolus suos patrocinari debeat, aut usuris, & inhonestis lucris via aperiri; ita generalis est, & rectè considerata, ut quoscunque alios contractus, & quascunque alias conjecturas sufficientes ad simulationem præsumendam comprehendant, ut ex ferie eorundem jurium non obscure deduci valet.
- 29 Septimò constituo, pacti de retrovendendo nominationem, apud omnes juris Interpretes probatissimam esse, & receptissimam, & servari posse, cum validè contractui venditionis accedere possit pactum hujusmodi, 30 & nihil repugnet; verè tamen nullam legem esse civilem, aut canonicam de tali pacto loquentem, ut non malè contendunt Cagnolus in d. l. 2. C. de pactis inter emptorem & venditorem n. 16. Joannes Corraffius miscellan. juris civilis, lib. 3. cap. 9. num. 1. Alexander Raudensis decis. 16. num. 176. § 179. nec dissentiunt Covarr. Decianus, & Caldas Pereira, ut statim videbimus; nam in primis in d. l. 2. C. de pactis inter emp. & vendit. ne verbum quidem est de pacto de retrovendendo, ut malè intellexerunt Doctores communiter, sed tantum de restituenda re pro eodem pretio; quæ inter se non parùm differunt, ut ostendunt Corraffius d. c. 9. num. 1. & Cagnolus in dict. l. 2. num. 12. Raudensis ubi supra, ex num. 176. Deinde in dict. cap. ad nostram, de emptione & venditione, similis omnino pactio est, nec loquitur ille textus in pacto de retrovendendo, sed restituendo rem & pretium: quod paret ad oculum, nam enter emptorem & venditorem conventum est, quod si venditor pretium reddidisset, aut obtulisset, res vendita illi restitueretur; quod pactum, ut dixi, longè distat à pacto de retrovendendo, ut advertunt Corneus in cons. 4. lib. 1. Riuinus in cons. 16. num. 11. libro 4. Cagnolus in d. l. 2. C. de pactis inter emptorem, n. 14. Corraffius Miscellan. lib. 3. dict. c. 9. num. 1. in vers. omninoque. Covarr. variarum resolutionum, lib. 3. cap. 8. num. 4. columna 3. in versiculo, præsertim quod in eisdem decretalis specie. Decianus in cons. 2. num. 135. lib. 1. Caldas Pereira in l. si curatorem habens, verbo, sua facilitate, num. 60. in vers. § revera si advertamus. Denique in dict. c. illo vos de pignori, diversa omnino pactio adjecta fuit venditioni, ut constat ex illis verbis: Cum venditioni prædictæ talis adjecta fuerit conditio, ut si à tempore contractus usque ad duos proximos annos præfato T. emptio displiceret G. pater H. ab inde usque ad annum vigesimum, sex libras (perceptis fructibus computatis in ipsis) dare deberet: Imo, & ultra prædictos Authores, neque leges Regiæ hujusmodi pacti de retrovendendo mentionem faciunt, sed potius loquuntur in pacto de restituenda re vendita, ut aperte deprehenditur ex verbis l. 42. in principio, titulo 5. partita 5. & in lege 4. titulo 6. lib. 8. novæ collectionis Regiæ: & sic videtur intelligere Gregorius Lopez in summario dict. l. 42. partita, in hunc modum scribens: Pactum appositum de restituenda re vendita, quancumque pretium daretur, est servandum, & c. Quod si dixeris, verbum positum in dictis juribus, restitutionem denotare, tamen quia restituito hujusmodi mediante retrovenditione fit dici posse pactum de retrovendendo, ut plerique respondent, qui communem opinionem sustinere contendunt: adhuc procul dubio remanet dubium ex his, quæ respondent rationibus communis sententiæ, non malè consideravit Cagnolus in dict. l. 2. C. de pactis inter emptorem, num. 14. 15. § 16. qui num. 12. inter pactum de retrovendendo, & de restituendo rem pro eodem pretio, de quo agit text. in d. l. 2. & in dict. cap. ad nostram, eam differentiam constituit, quam cum Aretino probavit etiam Corraffius Miscellan. juris civilis, lib. 3. cap. 9. in principio. Alexander Raudensis decisio 16. n. 176. & 179. quod pactum de retrovendendo nu.

dum continet factum, ita quod emptor præcisè retrovendere non cogitur, sed liberatur solvendo interesse, per text. in l. stipulationes non dividuntur, in vers. Celsus ff. de verborum obligat. Pactum vero de restituendo rem restituito pretio, causam bonorum continet, idest domini transferendi, & si restituendæ rei facultas adest, 38 præcisè ad restituendum quis adstringitur: Quæ tamen differentia mihi nullo pacto placere potest, etsi juxta mentem communis sententiæ procedat; & ad sic dicendum moveor principaliter ex his, quæ scripsi c. 13. lib. 1. num. 14. ubi obligationem facti præcisam esse, cum faciendi facultas adest, defendi, & alios Authores sic tenentes retuli. Nec etiam hodie probari posset post decisionem l. 42. titulo 5. partit. 5. in illis verbis: Dezimos que si tal pleito fuere en la vendida, que debe ser guardado, & ibi: Esi pena non fuisse puesta en el pleito, entouze el comprador es tenuto de tornar la cosa en todas guissas si es en su poder, e si en su poder non es, debe de nec har al vendedor todos los danos, e los menoscabos, quan le vinieren, porque no torno aquella casa, que assi avia vendido, & ibi Gregorius Lopez verbo, de tornar, si animadvertit in summario ejusdem legis, & dicit, quod emptor non liberatur solvendo interesse: quod etiam in terminis juris communis verius crederem, licet Corneus, Cagnol. Aretinus, Socinus, Alexander Castrensis, Nevizan. & alii, ac cum illis Alexander Raudensis, decisio 16. num. 119. § 180. contra tenuerint: Socinus tamen & Gozadinus, ac cum illis Petra de fideicommissis, questione 8. numero 197. hanc nostram opinionem tuerunt, nec inter pactum restituendi, aut retrovendendi differentiam constituent, indistinctè potius compelli promissorem ad retrovendendum affirmant.

Octavo constituo, totius hujus materiæ ditucidam, 39 & veram explicationem pendere ex vera interpretatione text. in cap. ad nostram, de empt. & vendit. & in c. illo vos, de pignori, qui sunt fundamentum hujus tractatus, ac de intellectu eorum eleganter tractasse, & varias interpretationes cumlasse in multis locis, (alijs prætermittis, quos referam questione sequenti) Beroum & Burgensè in d. c. ad nostram, Navarrum in repetitione c. final. num. quarto de usuris, & in repetitione capit. primi, numero decimo quarto questione tertia. Covarr. variar. resolut. libro tertio capit. octavo, numero quarto per totum, & cap. 9. num. 1. § 2. per totum. Rolandus in cons. 58. numero 10. in fine lib. 4. Cagnolus in l. 2. C. de pactis inter emptorem & venditorem, num. 50. usque ad n. 53. ubi vide omnino, Tiberium Decianum in consilio 2. n. 10. § num. 132. 133. § 134. § n. 176. § 177. l. 1. Alvarum Valascum consultatione 41. in finalibus verbis, in versiculo, similiter. Caldam Pereiram Lusitanum in l. si curatorem habens, verbo, sua facilitate num. 59. 60. § 61. Hyppolytus Riminaldus in consilio 218. n. 116. § num. 142. usque ad n. 148. libro 2. Cavalcanum decis. 1. num. 74. part. part. 1. Menochium libro 3. presump. 122. n. 38. § 39. Joan. Vincent Hondedeum in consilio 33. num. 40. § 41. § num. 70. libro 2. Alexand. Raudens. de analogis, libro 1. cap. 30. num. 241. § 4. seq. D. Felicianum de Solis, qui prædictos Authores non refert, de censibus, libro 1. cap. 6. num. decimo tertio ad finem, & num. decimo quinto per totum, Ludovicum Molnam è Societate Jesu Religiosum de justitia & jure, tractatu secundo, disputatione 375. columna 6. folio 789. in vers. quavis autem major horum omnium: & aliorum quamplurimorum scriptis attentè, sæpèque revolūtis, veram speramus dictarum decretalium interpretationem allaturos. Antea tamen accedamus ad indagationem vulgatæ equidem, & mille in locis agitatæ, sed non dum absolutæ, aut distinctè satis, ut arbitror, explicatæ questionis; ex illa enim & verus dictorum jurium intellectus pendet, & placida communia Doctorum, pariter & mentes eorum faciliùs percipi valent: Quæstio autem in hoc consistit, an scilicet pactum de retrovendendo cum pretij rei emptæ modicitate, faciat contractum simulatum censeri, & factum in fraudem usura-